

INVICTISSIMO POTENTISSIMOQUE
ROMANORUM IMPERATORI
SEMPER AUGUSTO,
MAXIMILIANO SECUNDO,&c

SERENISSIMIS & ILLUSTRISSIMIS
SACRI ROMANI IMPERII
ELECTORIBVS,&c.

FERDINANDO, ET CAROLO,
AUSTRIÆ ARCHIDUCIBVS,&c.

AC CAETERIS UNIVERSÆ GERMANIÆ
PRINCIPIBVS,

DOMINIS MEIS CLEMENTISSIMIS.



HERBARIAM MEDICINAM (ut ab ea primum sermonem exordiar) Invictissime Imperator, ac Serenissimi Principes, antiquis temporibus à Chirone illo magni nominis Centauro, Saturni ex Phyllira filio, primum repertam esse testantur, cum Plinius, tum plerique historiarum antiquarum autores. Alii vero ab Apolline inventam volunt, alii ab Æsculapio, ius filio, tantæ facultatis excellentiam à nemine excogitari, inveniriq; posse putantes, præterquam à Diis immortalibus. Non enim fieri posse censent, ut homo ipse abditas stirpium naturas, facultatesq; investigare, ac perspectas habere quiverit, nisi prius à maximo omnium opifice hæcce dotes fuerit edoctus. Namque (ut Plinius inquit) si quis id ab homine excogitari posse credat, ingratis Deorum numen intelligit. Atqui non desunt probatissimi autores, qui relictis Poetarum figmentis, & aliorum, fabulose suis in historiis de Herbariæ Medicinæ inventoribus scribentium, certo credunt, allatis cum aurorum testimoniis, tum efficacissimis rationibus, omnium creatorem Deum, Optimum, Maximum, plantarum, & caeterarum rerum omnium, quas terra procreat, & alit, facultates Adæ, primo humani generis propagatori indicasse, ei que illarum cognitionem infudisse, simulatque illi è limbo terræ conformato vitæ lumen inspiravit. Quod autem admiranda Medicinæ secreta, quæ non solum in herbis, & arboribus, sed in omnibus rebus, quæ in universo habentur orbe, in humani generis usum creata fuerint, apertissime testatur in sacris literis moralis, ac vere divinus ille Philosophus Iesús Syrach: quippe qui scribit Medicinam à summo Deo è terra esse creatam, quam vir prudens abhorre non debet. Quod vero rerum omnium scientiam in Adam infuderit ab initio Deus, facile quidem conicere quisque potest ex Mosais monumētis libr. 1. Genes. Etenim cum parentibus primis nostris potestatem dederit ipse Deus, ut dominarentur volucribus Cæli, piscibus maris, caeterisque terræ animantibus: En vobis trado (inquit) omnes herbas, quæ in omni terræ solo frugiferae sunt, omnesque fructifero fetu prædita arbores, semenque parientes, quibus ad alimoniam vobis uti liceat, Bellis autem omnibus terrestribus, caeterisque volucribus, & quæcunque vitali spiritu animata moventur, his omnem herbarum viriditatem ad sese alendum tribuo. Hinc itaque (inquam) coniciendum est, quod cum Deus tam immensis muneribus hominem ornaverit, haudquaquam prætermisisset illum, quin omnium rerum vires, ac naturam hominem ipsum, uno tantum spiritus divini afflatu docuerit. Nihil enim à quoquam æstimaretur, preciosissimum quantumvis donum, nisi scirent in quem usum sibi esset futurum. Cum autem Dei opera omnia omni prorsus defectu careant, aliter sane nobis censendum non est, quod certiores sumus ipsum Deum haud unquam latuisse, humanum genus, tot, tantisque subijci debere malis, quibus tollendis, ac mulcendis (ut pium decet patrem) nunquam prætermisisset is, quin homines auxilia, ac remedia docuisset, quæ plantis inessent, ipsius tantum hominis causa procreatis, ut non desperaret in afflictionibus, quæ in morbis atrocissimis proveniunt. In quibus ingenti solatio afficimur, ubi medicamentorum auxilia præsentia esse videmus. Ab Adamo omnium parente subsequutam ætatem volunt rerum omnium notitiam habuisse, ac subinde industria adaucta, rem altius, diligentiusque exquirere cœpisse: ita, ut hinc primum rei herbariæ plurimum cognitionis ac ornamenti accesserit. Quod cum postea animadvertissent sapientes, novissentque maximam huiusce facultatis esse præstantiam, ac utilitatem, ejus voluptate capti, ipsi quoque rei herbariæ, & caeteris, de quibus ars medica tractat investigandis, ac cognoscendis, studium impenderunt. Atqui non tantum mira eorum cura fuit, in his, quæ satù blandiuntur, aut in cibum veniunt,

)(3

sed

Herbaria
Me. 10. 1. 1. 1.
rigo divina.

Planta ad
usum homi-
num codita.

Epistola

Primi her-
barum scri-
ptores.

Priscorum
Regum in
plantarum
inquisitione
mirum stu-
dium.

Romanorum
illustrium
viri-
um memo-
ria.

Plinii laus.

Antonii
Castoris in
colonia
plantis dili-
gentia.
Poetae Latini
qui se
plantarum scri-
ptores
etiam
plantarum
studio.

sed culmina quoque montium invia, & solitudines abditas, omnesq; terrae fibras scrutati, invenere, quid quæque radix polleret, ad quos usus herbarum folia pertinerent, etiam quadrupedum pabulo intacta, ad salutis usum vertentes, quibus quantum illis debeamus, non equidem facile dixerim, cum tanti beneficii præmium, nullo prorsus thesauro compensari possit. De herbis autem primus omnium, quos memoria novit, Orpheus accuratissime scripsit, apud Græcos, & post eum Musæus, ac Hesiodus ab Ægyptiis (ut narrat antiquitas) edocti. Ab his Pythagoras sapientia clarus, primus volumina de Plantarum facultatibus composuit, Apollini, Æsculapioque omnia accepta referens. Composuit, & Democritus volumina de plantis, Perside, Arabia, Æthiopia, & Ægypto prius peragratis. Hoc quoque sequuti sunt alii nobilitate, ac jucunditate hujusce divinae facultatis allekti: quinetiam studio juvandæ posteritatis non dubitarunt se variis vitæ periculis committere, dum multas ignotas, asperasque peragrarent regiones, ut veram, legitimamque medicamentorum cognitionem consequerentur. Inter hos reperio fuisse Hippocratem, Cratevam, Aristotelem, Theophrastum, Dicoclem Caristium, Pamphilum, Mantiam, Herophilum, Dioscoridem, Galenum, Plinium, & alios quamplurimos, quorum nomina, ne longior videar, quam par sit, lubens prætereo. Cæterum quod plantarum peritia, aut inventio, præter eam, quam maximam affert voluptatem, utilitatem quoque, gloriam, & laudem pariat sempiternam, uoverunt non tantum universi orbis sapientes, diligentissimi rerum indagatores, sed summi etiam, ac potentissimi Reges: quippe illorum claritatem, quæ hinc potissimum ortum habuerat admirati, rati in hac antiquissima facultate summum splendorem, singularemque præstantiam esse, tantum oculi, ac studii ad eam percipiendam, & illustrandam contulerunt, ut eorum plerique de Plantarum historia, & viribus libros condiderint, nonnulli generosa antidota composuerint, ut ita suæ, & aliorum mortalium vitæ, usuiq; consulerent. Alii, etsi ex rebus consilio, & armis præclare gestis, se illustres reddidissent, cum tamen illustriores effici se posse cernerent, si clarissimam stirpium facultatem ipsi quoque suo essent studio prosequuti, è remotissimis terrarum regionibus raras, nobilesque plantas ingenti sumptu, & labore conquiritas, ad se transferri curarunt, ut certam, ac veram earum historiam describerent. Neque illos certe hoc latuit, quod si hac in re studiosè diutius versati, egregium quicquam invenissent, aut scriptis tradidissent, suum nomen esset nullis non seculis celebre duraturum: quandoquidem herbae, quæ singulis annis reviviscunt, repullulant, & revitescunt, eos perpetuo in hominum memoriam revocant, qui illas invenerunt, vel de ipsarum historia, & virib. aliquid posteritatis memoriae prodiderunt. Gentianam herbam ubiq; scriptoribus commendatam à Gentio Illyriorum Rege inventam, & ab eo appellationem mutuata esse, illi vero claritatem, & immortalitatem tribuisse, plures sunt, qui scribae auctores. Similiter Lysimachus Macedoniarum Rex Lysimachiam (ut Plinius est auctor) invenit, & ex se nominavit ob hanc perpetuis laudibus celebris. Scordium item Mithridatem Ponti Regem nominis æterni commendat. Clymenos præterea herba, Clymeno Regi inventori suo, Ephorbium, Juba Mauritanorum: Telephium, Telepho Misiae Regibus: Echium, & Anchusa Alcibiadi Atheniensium Duci, famam largiuntur æternam. Hinc etiam clarent Attalus Pergami, & Evax Arabum Reges. Siquidem hic de simplicium medicamentorum viribus ad Neronem Imperatorem multa conscripsit: ille vero dum plura adversus venena, & animalium virus ejaculantium ictus conficeret antidota plurimum laboris insumpsit, ut legitimas nancisceretur plantas. His accesserunt Archelaus Cappadociae, Massinissa Numidiae, & Agamemnon Argivorum Rex, quorum nomina nulla penitus vetestate extingui poterunt ob eam, quam in cognoscendis prodendisq; stirpibus, curam, diligentiamq; adhibuerunt. Omittam Philometra, Hieronem, & alios nonnullos, magni nominis Reges, ne verbosius, quam oporteat rem prosequi videar, qui vel ipsi ex hoc immortalem gloriam retulerunt, quod rei herbariae studiosi extiterint. in eaq; de posteris præclare sint meriti. Porro tractu temporis migravit hæc facultas etiamnum ad Romanos, apud quos M. Caro omnium bonarum artium magister, primus, & diu solus hanc facultatem attigit, bonum etiam medicina non omissa. Post eum unus illustrium, nempe C. Valgius eruditione clarus, de re plantaria plura scribere tentavit, imperfecto tamen volumine; divo Augusto dicato. Sed antea condiderat solus apud Latinos plantarum volumina Pompeius Lenæus, magni Pompei libertus, ex Mithridatis promptuario edoctus. Namque cum is Rex esset, in reliqua ingenii magnitudine medicæ materiae peculiariter curiosus, à subjectis hominibus, quæ fuere magna pars terrarum, singula exquirens, scrinium commentationum harum, & exemplaria, effectusq; in arcanis suis reliquit. Pompeius autem omni Regia præda potius eo devicto, & superato, transferre ea Latino sermone Lenæum, Grammaticæ artis doctissimum, iussit, vitæq; ita profuit, non minus, quam Reipublicæ victoria illa. Hos multo post tempore sequutus Plinius de Naturali historia scribens, pluribus & continuis libris de plantis, & herbis fufius egit, cui ea omnia, quæ ab aliis ante ipsum scripta sunt, accepta referre debemus, cum jam diu perditis eorum scriptis, nihil emolumenti ex iis capere valeamus, præterquam iis tantum, quæ ab eodem Plinio, in sua translata sunt monumenta. Contemplanda quoq; fuit ante id tempus Antonii Castoris scientia, cui summa admodum autoritas erat ea in facultate, visendo ejus viridariolo, quo plurimas alebat plantas, contesimam ætatis annum excedens, nullum corporis malum expertus, ac ne ætate quidem memoria, aut vigore concussus, nec aliud mirata magis antiquitas reperietur. Fuere etiam inter Latinos, qui hujusce facultatis meminere, Poetae nonnulli, nempe Virgilius, Ovidius, Macer, siquidem hi plura de plantis notatu digna, & nunquam interitura carminibus cecinerunt. Herbarum gloriam Mulieres quoq; affectasse, & affectas esse, ut quæ multum curæ, ac studii earum viribus investigandis impenderint, non modo Poetae, sed etiam historici tradunt. Etenim ob id Circem, à qua Circea herba dicta est, Poetae Solis filiam fuisse fabulantur: Sed hæc revera eam demum exquisitam herbarum notitiam adepta est, ut non temere ob ejus mirabilia facta illis fecibus, divina potius, quam humana sit habita. Talis quoq; Medea fuit, quæ tantam herbarum notitiam habuit, ut cum compositis ex iis medicamentis pluribus senectutem retardasset, Æsonem

Nuncupatoria.

Æsonem Poetæ finxerint ultimo affectum senio, ab hac juventuti fuisse restitutum. Helena adhæc, Helenio herbæ, quam primum (ut quidam volunt) sevit, suum nomen impertita est, atq; ideo in ea nunc etiam nominatissima vivit. Artemisia vero Mausoli Cariae Regis uxor alioquin præclarissimi nominis mulier vel ex hoc memorabilis, & immortalis reddita est, quod suum nomen herbæ inditū reliquerit. Illud in super satis esse potest, ut quemq; ad plantarum cognitionem capessendam invitaret, quod hæc tantum utilitatis in se habeat, ut & animalia, irrationalia natura, ipsa edocta, plurimarum plantarum vires cognoscant easq; mortalibus indicarint. Quandoquidem Cervi distamnum herbam, quod vulnerati ejus pastu telum venatorium ejecissent, sagittarum vulnerib. mederi ostendunt, ubi ferrum vulnere inhæserit. Item Cervæ, Sefeli herbam demonstrarunt. Testudines, cunilam, mustelæ, rutam, accipitres, hieracium: columbæ, verbenacam, hirundines, chelidonium, ciconiæ, origanum, & alia denique animalia alias innumeras herbas invenere. Quocirca si ad prædicta mentem, animumque homines converterent, si medicæ materiæ primordia spectarent, utpote cum plantæ suis divinis præditæ viribus statim ab elementis conditis, è terra emerferint, nullum mihi dubium est, quin omnes faterentur hanc facultatem antiquitate, nobilitate, & divinitate cæteras antecellere. Neque ob id solum illi tantum laudis, admirationis, & gloriæ debetur, quod ejus cognitio jucunda, ac delectabilis sit, sed etiam quia utilis admodum, & necessaria existit. Ea namq; sanitatem, qua nihil exoptatius homini esse potest, tuetur, varia, innumeraque morborum genera fugat, ferarum virus evincit, & venenorum lethaliū vim demolitur: quin etiam homines in vita diutius servat, & sæpe etiam deploratos, quorum scilicet salutis nulla spes reliqua sit, ad vitam revocat. Quod cum recte quidem æstimassent Romanorum Imperatorum nonnulli (ut libr. 1. de Antidotis testis est Galenus) et si in Republica administranda, & provinciis gubernandis, tuendisque plurimum essent occupati, eos tamen non mediocriter tenuit studium colendæ rei Herbariæ, atq; etiam illustrandæ. Quippe, ut genuinas consequerentur plantas, utq; veris aromatis potirentur, in multis ac longinquis regionibus, Herbarios magnis sumptibus alebant, muneribusq; donabant: hac præterea animi inductione, ut inde non minus gloriæ, quam utilitatis referrent, quod ita quoq; studerent immortalitatem beneficio demereri. Sane memorabili majorum suorum exemplo ducebantur, qui non solum exuvias Regum quos in bello devicerant, trophæis dicatas, in triumphis portare, ipsosq; Reges victos ante se ducere solebant, sed etiam raras, & peregrinas plantas, & generosa aromata, quibus raræ præclaræq; dotes inerant, in iisdem magno cum honore ferebant, nec putabant ii se minorem laudem, & gloriam adeptos ex plantis illis, quas postea per quam diligenter suis in hortis ferebant: idem ex aromatis, quæ inter sua alia prætiosa reponebant in suum, & cæterorum commodum, quam ex trophæis, simulachris, & arcubus quæ omnia erigi curabat Senatus, Populusq; Romanus, in perpetuam rerum gestarum memoriam, & eorum gratiam, qui se tali laude dignos exhibuerant. Magno etiam honore apud Romanos habiti sunt ii, qui de plantarum historia, & viribus scripserunt, & in hac facultate claruerunt, argumento satis manifesto, quod expugnata Carthagine omnes Bibliothecas, quas invenerunt, variis Regib. & Principibus donaverint, præter duo & triginta volumina de re herbaria, & agricultura tantum à Magone Pœno scripta, quæ Romam attulerunt, & ut in Latinam linguam verterentur, mandarunt: tantam nimirum solus iniit gratiam Maggo ille rei herbariæ, & agriculturæ peritus. Adeo deniq; fuit attonita ad herbarum facultates antiquitas, ut illorum temporum scriptores affirmarent etiam mirabilia dictu, ita ut Xantus historicus in primo historiæ libro scripserit, occisum Draconis Catulum herba quadam à parente revocatum ad vitam, quam Magi Balim nominant; eadem Thilonem, quem Draco occiderat, salutis restitutum. Et Juba Rex Mauritanie herba quadam in Arabia hominem ad vitam revocatum esse tradidit. Picum etiam avem adactum suis cavernis cuneum, quas in arboribus habet, admota quadam herba extrahere tradiderunt, cum Democritus, tum etiam Theophrastus. Quin etiam Æthiopide herba, tactu clausa omnia aperiri, quibusdam admurmuratis cantilenis. Id quod mihi miraculo non est. Memini enim dum superioribus annis Venetiis agerem, me quandam suspensio damnatum vidisse, cui fores omnes patefierent disjunctis feris, una tantum herba admota signaculis quibusdam decantata. Talis fere facultatis alia haud mihi incognita habetur, in Italiæ montibus proveniens, quæ ab equis calcata continuo ferrei solvuntur calcei. Herophilum clarissimum antiquitatis medicum posteritatis memoriæ tradidisse ferunt historiæ auctores, quasdam haberi plantas, quæ calcatæ tantum prodesse, quæque etiam obesse possint. Observatum certe est inflammari vulnera, ulceraq; superventu eorum qui pedibus iter confecerunt per loca perniciosis plantis scatentia; contra vero sanari morbos, ubi ab itinerantibus vulneratis, salubres calcatæ sunt. Nam Hemionitidis contactu spleneticos sanatos scimus: Comitiales suspenso collo Pæoniæ Romanæ radice: Ictericos substrato in calceis, nudis pedibus majori Chelidonio aut Pastoria bursa: Aconitum pardalianches contactis tantum feminei sexus pudendis, paulo post necem asserre certum est. Tam diu quempiam lippitudine haud tentari observatum est, quam diu is sylvestris Rumicis radicem, secum niridissimè habuerit. Desinet stranguria cruciari, qui Tamaricis lignum ardens sua ipsius extinxerit urina. Inguinis tumorem haudquaquam iis subcrefcere putant, qui Myrti furculum secum gerat. Varices in cruribus sanari scribunt, ubi hederæ radicibus, Luna Aquarium occupante, erutis circumderur affectio. Idemque effici, si ternæ ejusdem hederæ baccae, per murum repentis, affecto cruri adalligentur. Scordii contactu præservari Cadavera, non solum Michridatis, sed etiam Galeni testantur monumenta. Scythæ, Scythicam herbam circa Bæotiam nascentem ad invenere, gustatu quidem prædulcem, cujus magna nimirum commendatio, quod in ore eam habentes, famem sitimque non sentiant. Idem præstat apud eosdem Hippice dicta, quod equis quoque eundem effectum præbeat. Traduntq; his herbis Scythas etiam in duodenos dies durare in fame, & siti. Tantam gloriam esse herbæ Veronica tradidere quidam, ut domus in qua sata sit tuta existimerur à piaculis omnibus. Coriacea herba quinetiam Callitia, Pythagoras aquam glaciari tradidit. Minaidis succo in aqua

Helenium.
Artemisia.

Animalia
bruta, quas
plantas ma-
nifestave-
runt.
Herbarum
cognitio uti-
lis & neces-
saria.

Caesarum
Romanorū
in re herba-
ria studium.

Maggo Pœ-
ni xxxij
volumina
de plantis
conscriptis.
Quarundā
plantarum
admirandi,
et prope stu-
pendi asse-
tus.
Clausuro-
rum apertio.

Alii effectus
ex solo con-
tactu.

Scythæ
herba
magica
abigens
fame.

Epistola

Herba qua
Ras sua
malefacta
confiteri
cogit.

Baaras ad-
mirabilis
planta.

Fucus para-
sit u conve-
nient.

Circulatorii
quorundam
fucus.

Planta
agnos profe-
rent.

decocto protinus sanari serpentium morsus, si eo foveantur, idem tradidit, & eundem effusum in herba, qui vestigio contigerint, vel eo resperfi fuerint insanabiles perire monstrifica prorsus natura veneni, praeterquam contra venena. Ab eodem Pithagora Aproxis herba appellatur, cujus radix non minus quam Naphtha è longinquo concipiat ignes. Achemenidon plantam colore electri sine folio nasci in Tardytilis Indiae meminit Democritus, cujus radice in pastillos digesta in dieque ex vino pota, noxii per cruciatus nocte confiteantur, omnia, per vanas numinum imaginationes. Adamantida Armeniae & Cappadociae alumnā, qua Leonibus admota, resupinari eos illico laxo hiatu: nominis causam habere ajunt, quod Adamantis modo conteri nequeat. Ariamidis herbae contactu ligna oleo prius peruncta, illico accenduntur, si decerpatur, cum Sol fuerit in Leone. Therionarca in Cappadocia, & Misia nascente, omnes feras torpescere, quibus fuerit admota, nec nisi Hienae urinae aspersu recreari, tradidere veteres. Ophiusa in Elephantina Aethiopiae nasci etiam tradunt, lividam, & horribili aspectu, qua pota terrorem, minasque serpentium obversari, ita ut mortem sibi eo metu consciscant, qui biberint, ob idque cogi sacrilegos illam bibere: adversari tamen ei palmeum vinum. Potamantim ad Indum fluvium inveniri narrant, qua pota lymphari homines observantibus miraculis. Manicum Solanum (ut Dioscorides est autor) varias facere species, imaginesque non jucundas obversari, si ejus radices drachima ex vino bibatur. Theangelida in Lybano Syriae nasci, qua devorata futura praesagiant homines. In Baetris, & circa Boristenem planta provenit Gelotopyllis dicta, quae si cum vino, & myrrha, bibatur, varias dicunt obversari species, ridendi; finem non fieri, nisi potis ex palmeo vino pineae nucis nucleis, pipere, & melle additis. Asciomenes herba (ut Apollodorus est autor) vino aspersa, folia in se contrahit. Oenotheta (Cratevas autor est) meraco aspersa, omnium animalium feritates domat, collo adalligata, vel jugo suspensa, Parthos ab Antonio fugatos scribit Appianus Alexandrinus, cum fame premerentur, in quandam herbam incidisse, quam qui comederent, nihil aliarum rerum reminiscerentur, aut intelligerent, nisi quod lapides continuo effoderent, quasi quidpiam magni operis facturi, & sic debacchati, bilem demum evomentes interirent. Rhamni tertii ramus (autore Dioscoride) valvis fenestrisve impositus veneficia omnia depellit. Scilla tota in limine januae suspensa, mali medicamenti noxam arceat. Lapathi radices, quinetiam Plantaginis collo adalligatae (eodem autore) chæradas & strumas sanant. Vermiculi in echinatis Dipsaci capitulis autumnis reperti, collo in folliculo adalligati, aut sinistro brachio appensi, quartana febre affectos incolumitati restitunt. Attractylis herbae gestatu obrunditur Scorpionum ictus quousque icti gestaverint: deposita tamen illico recrudescere dolorem scribit Dioscorides: Quin etiam posteritatis memoriae tradidit, à Scorpione non icti eos, qui polemoniae herbae radicem secum tulerit, vel si forte fortuna quispiam ictus fuerit, cum quidem nihil molesti passurum. Nascitur in Judaea radix Baaras, à loco appellata (ut Flavius Josephus scribit libro de bello Judaico) quae flammam colore imitatur, circa vesperam vero veluti jubar fulgurans: accedentibus autem, eamque vellere volentibus, facilis res factu non est, nam tamdiu refugit, quousque urina muliebris, vel menstruus sanguis super eam fundatur: quinetiam tunc si quis eam terigerit, mors certa est, nisi forte eam ipsam radicem ferat de manu pendentem: ideo effosae circumquaque radici, nec dum extirpatae canem alligant, qui abeuntem inde dominum sequi volens, eam extirpat, & continuo moritur, tanquam ejus vice à quo tollenda erat: nullus enim posthac accipientibus, metus est. Tantis autem periculis propter unam vim capi eam operæ pretium est: Siquidem iis admota, qui cacodæmonibus oppressi sunt, illico libertate fruuntur. Cæterum & mihi quidem radix est, à Francisco Calceolario Veronensi reperta, qua vino per noctem macerata, & epoto subinde vino, lintheolo percolato, à quovis quantumcunque famelico, is quidem edere nequit, nec cibi tantillum degustare, nisi aceti cochlear absorbuerit. Ridendus profecto jocus, sed res ipsa non omnibus committenda. Foditur radix apud occidentales Indos, foliis Sambuci, quae humanae coxae complet crassitudinem, cujus succus epotus lethalis est. Reliqua vero expressa radix in farinam molita, optimum ac nutritioni saluberrimum conficit panem. Illud etiam his addi potest, quod in Circulatorum spectaculis saepe demirantur homines. In vinum radices cujusdam pulverem, cujus gustatu fauces convelluntur, immiscent, & cui fucum facere volunt, jubent, ut illo in vino intinctum digitum, quasi prae gustandi causa sugat, tum illico digitum in vino madidum in os inditum, sibi mordicus, non sine dolore, & clamore premit invitus. Interea perinde atque blanditiis mærentem consulatur Circulator, temporum, carpique arterias, alio quopiam oblinat medicamento, deinde nummum in terram projectum hortatur, ut tollat. Ibi ille pronus, primum sese nequit attollere, mox unguinis vi amens factus, concidit, statimque ejus more, qui metuit, ne mergatur in aqua, natat, ac vociferatur simul se fluctibus obrui. Ergo cum erigit Circulator. Ille quasi ulturus injuriam, primum malefcium obliquo ac torvo intuitu exprobrare, mox hominem aggredi videtur. Postremo fugientem Circulatorem persequi, donec absterfo tandem illi medicamenti veneno, recipiat animum ac menti restituatur. Ubi autem ad se rediit, quasi, qui evaserit à mari naufragus, capitulum, vestimenta quoque, veluti vela torquere, exprimere quoque, brachia tergere, & nares emungere conspicitur. Haec, fabulae non sunt. Nam non desunt multorum testimonia, qui viderunt, qui quoque imposturam suspicantes, suis & amicorum suorum famulis (ut hoc anno Pragae factum est) haec fieri iusserunt. Herbam commemorat Theophrastus, qua devorata septuagies coeundi potestas accedat. Quin & in Indiae Occidentalis provincia quadam versus Datieu, arborem esse Pyri faciem referentem, scribunt Hispani, cujus fructus devorati (sunt ii butyri sapore) adeo valide eos, qui devoraverunt, in Venerem agunt, ut prope miraculo sit eorum efficacia: Agnoscat illi nomen est, Achemenide herba in hostium aciem conjecta trepidare agmen, & terga dare scribit Plinius. Quinetiam Latien Legatis dari solitam à Persarum regibus, ut quocumque venissent, rerum omnium copia abundarent. Apud Tartarus plantam inveniri tradunt, cujus fructus Agnum per omnia refert. Obducitur is tenuissimo corio, quo utuntur incolae ad capitis tegmina: internam palpam Cammari carnes refert.

Nuncupatoria.

referre ajunt, & è vulnere succum manare sanguini omnino similem; item dulcore esse admirabili: radicemque humo exertam, subrigere ad umbilicum usque. Illud miraculi fovet magnitudinem, quamdiu obsidetur herbis, vivere illum, quasi agnum in læto pascuo: evulsis vero illis, paulatim contabescere. Atqui & illud admirationem auget, appeti à Lupis illum, atque vorari. Nonne & id mirum, quod de Ægyptia traditur Loto? Hujus cum flores, tum etiam scapum vesperti sub aquis mergi Ægyptii narrant, usque ad medias noctes, totumque abire in altum, adeo, ut demissa quidem manu inveniri non possint: verti deinde paulatimque subrigi, & ad Solis exortum emergere extra aquas, ac flores patefacere, & capitula exerere, ut planè ab aqua absit alte. Cæterum nec sylvæ quidem, nec saxa, nec antra, horridiorque naturæ facies, medicinis carent, sacra illa parente rerum omnium, nusquam non remedia disponente homini. Innumerae fere sunt in sylvis plantæ, ac arbores, à quibus morborum salutem petimus. Sunt & in faxis, & in antris aliæ utilissimæ: quin etiam in ipso mari plantæ nascuntur salubres, quemadmodum in lacubus, fluminibus, fontibus, ac paludibus, è quibus sua habet medicina auxilia: adeo, ut nullus prorsus exter locus, qui hisce dotibus destituatur. Nihil enim quispiam à natura creatum inveniet, quod in medicum usum venire non possit. Quandoquidem ipsa venena non solum sese destruunt invicem, sed quamplurimis medentur morbis. Aconitum enim, etsi (ut prædiximus) adeo perniciosissimum sit, ut contactis tantum sceminei sexus genitalibus, necem paulò post afferat, eorum tamen, istis à Scorpione, præsentaneo fere auxilio eos liberat. Mirum quidem, exitalia ambo cum per se sint hæc duo venena, in homine commoriuntur, ut homo superfit. Idem oculorum medicamentis, levandi doloris gratia commodissime adjicitur. Cicuta præterea pernecans planta, sacros ignes, & ulcera, quæ serpunt, illitu restinguit, oculorum inflammationes mulcet, & alios quidem plures in Medicina habet usus. Nerium alinos, mulos, equosque, qui devoraverint, interficit; cæterum è vino potum demorfos à serpentibus sanat. Meconium in perpetuum somnum fumentes ducit, contra verò dolorificos morbos omnes mulcet. Cantharides devorata, in necem hominem trahunt, atque iisdem curantur à cane rabido demorfo. Vipera reptilium fere perniciosissima, non solum sui ipsius venenum extinguit devorata, & illita, sed alia etiam venena destruit, & superat. Quid demum plura? nihil non herbarum vi effici posset, si plurimarum vires non ignorarentur. Hæc tamen si quibusdam fide carere videantur, admiratione tamen implent, coguntque consiteri, multum esse, quod vero superfit. Quapropter male audiunt apud doctos, qui talia plantarum miracula rident, cum & rerum eventa prorsus famæ suffragentur. Non protinus historiis fidem derogare consentaneum est, si vel aucupium causæ, quo potiri nequeamus, nos fugiat: Siquidem innumera fere sunt hominibus conspicua, quorum ratio non possit iniri. Multa in intimis naturæ penetralibus, delitescunt, quæ nec ratio ulla, nec humanus intellectus comprehendere potest. Voluit enim natura hæc potius admirari homines, quam à quoquam unquam intelligi. Quare qui scrupulosius in pervestigandis singulorum rationibus versantur, ex omnibus naturæ miracula submovent. Etenim ubi nos causæ ratio deficit, hinc dubitandi manat exordium, hoc est philosophandi. Iccirco philosophiam modo quodam conantur abolere, qui prodigiosis naturæ miraculis fidem non habent. Sed quare non plures noscantur plantæ (inquit Plinius) causa est, quod eas agrestes, literarumque ignari experiantur, ut qui soli inter illas vivant. Multis enim inventis nomina defunt. Nam scimus sine nomine plantam in angulis segetis defossam, præstare ne qua ales intret: Turpissima causa raritatis, quod & qui sciunt, demonstrare nolunt, tanquam ipsis peritum, quod tradiderunt alii. Ita certe recondunt, qui pauca alia novere, invidentes aliis, & neminem docentes, inscientiæ auctoritatem: tantum excogitandis novis, ac humana juvanda vita, quorundam mores absunt. Summumque opus ingeniorum diu jam hoc fuit, ut intra unumquemque recte facta veterum perirent. At nos elaborata, ac iis, nobisque, laboribus ingentissimis parta abscondere atque suppressere cupimus, & fraudare vitam alienis bonis? minime omnium, imo non tantum aliorum inventis, sed propriis nostris comparatis auxiliis præsentium, & posterorum vitam juvandam statuimus, complurium ætatis nostræ clarissimorum, doctorumque virorum institutum sequuti, in quorum catalogo præcipui sunt, Hermolaus Barbarus, Nicolaus Leoniceus, Joannes Manardus, Joannes Ruellius, Marcellus Vergilius, Leonardus Fuchs apud Germanos claræ eruditionis medicus, Antonius Musa Brasavolus, Jacobus Sylvius, Aloysius Mundella, & alii, qui cum animadverterent, Medicam materiam, nullis olim non seculis celebrem, medicorum, qui nos præcesserunt, incuria, segnitieque obsoletam, intentatam & incultam jacere, adeo ut per pauci reperirentur Medici, qui alias fere plantas, quam olera, quorum frequentior est in cibis usus, cognoscerent, humanum genus miserari, strenuam navarunt operam, ut discussa superioris seculi caligine, Medicam materiam è tenebris eriperent, & suæ pristinae luci restituerent. Quos equidem eo quo potui majori studio, atque industria imitatus, cum multis jam annis animadvertissem in universis Italiæ pharmacopoliis, cum à Pharmacopœis ipsis, tum maxime à medicis hujusce facultatis ignaris, quam plurimos errores, eosque graves, & detestandos committi in humanæ vitæ discrimen, ac sæpe in ejusdem perniciem, ut eorum errores tollerentur, habita nostrorum Pharmacopœorum ratione, quorum pauci satis Latine sciunt, Dioscoridem Anazarbeum, & Græcum & antiquissimum scriptorem, ac in simplicium medicamento-

*Venena venena quam-
doque anti-
dota esse pos-
sunt.*

*Classi- hæc
atque viri
qui de re her-
baria scri-
pserunt.*

*Commentari-
um Italico
scripta.*

*Medicorum
superioris
ætatis negli-
gentia.*

magno,

Epistola

*Methodus
observata.*

magno, non dubitamus. Porro Plantarum, & Animalium historiam late, quantum res postulare visa est, complexus sum. In viribus autem recensendis, eas cuique plantae ex Galeno in fine reddidi, eoque fere semper contentus fui, nisi quando quid ipse praetermisit. Praeterea, cum plura sint plantarum, aromatum, & aliorum simplicium medicamentorum genera, quae frequentem in Medicina usum obtinent, partim à Mauritanis, partim ab aliis, qui per singulas aetates claruerunt inventa, de quibus nusquam, quod extet, meminerunt Dioscorides, & Galenus, aliique veterum Graecorum auctores, ea omnia nostris commentariis inferuimus, ipsorumque historiam, & vires, ea, qua potuimus diligentia descripsimus. Hoc opus, ubi ad umbilicum perduxissem, vel amicorum hortatu edidi, eo in primis animo, ut aliqua ex parte industria mea hominum vitae prodessem, deique ea benemeritis existimarer.

*Comment.
Italica quin-
to edita.*

Asssecutus hoc sim, necne, nostrum non est ferre iudicium. Nisi temere fortasse à nobis dictum videretur, me ex eo coniecisse, non ingratum opus Italici, neque inutile fuisse, quod paucis post annis, tertio, quarto, quinto (ni fallor) fuerit excusum, & venditum. Adderemque non vulgare de eo doctorum virorum iudicium, ex quo etiam cognovi, me non oleum nec operam plane luisse. Id profecto me movere debebat, ut si quid de exteris quoque gentibus promereri possem, tentarem, ne viderer in hoc Italici solis natus. Sed illud praeterea huc accessit, quod ex illis etiam aliquos nostris commentariis, quamvis Italice conscriptis delectatos esse, ex iisque fructum aliquem cepisse intellexerim. Cujus rei illud mihi satis manifesto indicio fuit, quod ex recentioribus tam Germanis, quam Gallis scriptoribus invenerim, quibus placuit nostras qualescunque sententias interpretari, suisque scriptis interserere, neque eas tantum nobis ingenuè acceptas referre, sed de nobis etiam (quae eorum fuit humanitas) admodum honorifice loqui. Quorum erga nos voluntatem ut augerem, & studium omnium externorum, si possem, adjuvarem, utque illis gratiam aliquam rependerem, & cum aliis omnibus inirem, nulla mihi commodior ratio visa est, quam ut Italicos nostros commentarios in Latinam

*Commenta-
ria Latina
cum minor.
figuris.
Cum Latin.
secunda
editio.*

linguam transferrem. Hos itaque, ut primum potui Latinos feci, in quibus tamen plura mutavi (quod maxima rei difficultas tulit) plura auxi, & omnia quo dammodo illustravi. Adjecimus insuper quamplurimas plantarum & animalium imagines in minori forma ad naturae imitationem expressas, non alia, me hercle, ratione, quam ut iis, qui terras peragere non possunt, nec praecipitantes habent, quasi hortulum exhiberemus, in quo omni tempore, nulla adhibita cultura, vivas fere stirpium effigies spectare possent. Ceterum dum anno à JESU CHRISTO nato M. D. LVIII. iterum recudi eadem commentaria curarem, multas adhuc adhuc adjecimus imagines, quae partim plantas, partim vero animalia nonnulla referunt, de quibus praeterea quae à Dioscoride tradita sunt, in hisce commentariis peculiariter disseruimus, quinetiam vel ipsa commentaria permultis in locis auximus. Atqui nunc cum annis continuis decem in Aula Serenissimi Principis Ferdinandi Archiducis Austriae &c. vivam, & ejus Celsitudinis Medicum agam, id oculi, quod suffragari licuit, Medi-

*Matthioli
German. &
Bohemis her-
baria con-
scripsit.
Cum Latin.
tertia editio.*

cae materiae adhuc diligentius excolendae, contulimus. Ubi non solum Germanis, & Bohemis in eorum sermone Herbaria peculiariter scripsimus, & Typis excudenda curavimus, sed haec eadem commentaria nostra Latina locis plus mille auximus, & imagines omnes in forma longe majori, diligentiori; artificum studio elaboratas, una cum illis excudi curavimus, additis aliquot novarum, peregrinarumque plantarum centuriis, ad vivum expressis, quae antea nunquam à me, neque à quopiam editae sunt. Eae enim (ut res ipsa fatetur) adeo artificiose (sit hoc citra crimen iactantiae dictum) diligenterque expressae sunt, tamque ad amissim delineatae, ut sine coloribus ullis additis, facile ab

*Autoris la-
bores ac sum-
ptus in hoc
opere eviden-
tes.*

omnibus rei herbariae studiosis dignosci possint. Atque ita sit, ut ubi haecenus Matthioli hortulo usi sunt rei Plantariae studiosi, nunc amplissimo ejusdem viridario, cujus intrantibus omnibus patent fores, sese oblectari valeant. Tanta enim nobis semper fuit juvanda in universum Reipublice promptitudo, ut nec sumptibus ingentissimis, quos in pingendis, sculpendisque tot imaginum tabellis contulimus, neque vigiliis, nec laboribus pepercerimus unquam. Quae quidem qualia & quanta attulerint vitae nostrae incommoda, silere potius consilium est, quam multis explicare, ne his enumeratis, captandis potius legentium animis, quam juvanda posteritati, occupatus est videar, praesertim cum sciam haec ante hac quam plurimos haud latere, qui ea omnia, & viderunt, & intellexerunt: quin etiam multos futuros spero, qui operis magnitudinem scrutati, recte perpendent, quantum oneris, quantum laboris, curaeque, quantum denique temporis, sedulitatis, & diligentiae, in hoc cudendo plantarum volumine exantlaverim. Tacebo quoque peregrinationum, & itinerum labores, ad montes, valles, sylvas, colles, prata, maria, lacus, flumina, paludes, & fontes diversarum provinciarum, & regionum, quin etiam ad clarissimarum urbium viridaria, ad rudera, collapsas magnorum aedificiorum ruinas, ad speluncas, & longos terrae meatus in subterraneis diversorum metallorum fodinis, & ad eorum fornaces, ubi cadmia, pompholyx, spodium, flos aeris, argenti spuma, & alia plura metallica medicamenta fiunt. Silebo quoque, quam diu insudaverim, quamque sedulus fuerim in numerosis peregrinis plantis mihi comparandis, ex Asia, Graecia, Syria, Aegypto, Arabia, Numidiaque allatis. Id quod facile intelligere poterunt, qui volumen hoc nostrum in Dioscoridem, diligenter intuebuntur. Nec me certe labores, aut peticula deterruissent à magnis, longisque itineribus, quod Galeni exempla mare trajecissem, & Cyprum, Cretam, Lemnum, Syriam, Aegyptum, aliasque regiones peragrasset, ut multa praecelata simplicia, quae hodie desiderantur, essem consequutus, ad mortalium cognitionem, & usum transferenda, nisi meae animi propensione obstiterent negotia domestica, aegros curandi pietas, & corporis imbecilla suis constitutio, quae me quidem maris, & longae peregrinationis incommoda, ferre non diu permisissent. Itaque hoc inconficiendo volumine si id mihi non licuit, quod libuit, id saltem, quod potui omni studio, industriaque mea praestare conatus sum. Adeo enim huiusce operis conficiendi cupidus semper fui, ut potius ab ipso etiam principio beneficium hoc in universam Rempublicam, & in futuram posteritatem conferre statuerim, quam ut cogitarem, quo pacto tam magnis sumptibus non succumberem. Atqui succubuissem profecto, ni Dei Opt. Max. nutu, me, dato cumulatius auro, juvissent, cum Caesar Ferdinandus, felieis recordationis, & Caesarea Majestas

tua,

Nuncupatoria.

tua, tum Celsitudines vestrae: (Cæsar invictissime, & Serenissimi & Illustrissimi Princeps) Siqui-
dem Imperator ipse Ferdinandus auro & argento sane non modico, hosce meos juvit conatus. Quem
imitatus Cæsarea Majestas tua, & Serenissimi Principes Ferdinandus, & Carolus, Austriae Archidu-
ces, suas quoque opes non exiguas liberaliter contulerunt, adeo ut his potius quam mihi beneficium
hoc acceptum referre possit universa Respublica. His accessit non mediocri liberalitas quorundam
Germaniae Principum, qui ad hoc volumen consummandum, sua contribuere auxilia: Nam inter
Illustrissimos Sac. Rom. Imperii Electores primus, qui suppetias amplissimas tulit, mihi recensend-
us est Illustrissimus Princeps Augustus, Saxoniae Dux, qui peculiarem suae Aulæ Veredarium, aere
plurimo instructum, ad me misit: cujus liberalitatem, & erga me munificentiam, nunquam satis
collaudare possum. Quem postea secutus Illustrissimus Fridericus, Comes Palatinus Rheni, & Il-
lustrissimus Joachimus Marchio Brandenburgensis, sua etiam contulere auxilia. Id quod inter cæte-
ros Germaniae Principes fecere Illustrissimus, & Reverendissimus, Cardinalis, & Princeps Triden-
tinus, Christophorus Madrutius, & Illustrissimus, & Reverendissimus Joannes Jacobus Archiepi-
scopus, & Princeps Saltzpurgenfis: quinetiam Illustrissimi, Albertus Dux Bavariae, Gulielmus Dux
Clevenfis, & Joannes Albertus Dux Megapolensis, & Vandalorum Princeps: atque Magnificentissi-
ma Norimbergensis Respublica. Quorum omnium liberalitatem non solum mihi sed omnibus cele-
brandam, ac divulgandam censeo. Lætor autem plurimum, quod Mecænates habuerim Imperato-
res, Reges, Sac. Roman. Imperii Electores, Archiduces, Cardinales, Episcopos, Duces, ac Princi-
pes, quod hoc longe plus splendoris nostris conatibus addat, quam cætera de quibus diximus. Sed
quid nunc commemorem de clarissimo viro Joanne Nævio, Illustrissimi Electoris Ducis Saxoniae
Medico? quibus ego illum præconiis efferam? innumeris, si tantum possem, quod is non solum
Principem suum hortatus sit, ut tam copiosas mihi mitteret suppetias, sed quod ex propria sua pecu-
nia (quæ ingens fuit ejus in me liberalitas, & in rei herbariæ studiosos pietas) aliquot obsignati ar-
genti pondo, sua sponte ad conflandum hoc opus contulerit. O virum multiplici calamo cele-
brandum cum ob pietatem, humanitatemque, quib. totus redundat, tum quoque ob in signem doctri-
nam, & Medicæ facultatis scientiam, in quibus adeo præcellit, ut è longinquis regionibus, spe recu-
perandæ tuendæque sanitatis, plurimi ad eum confluant homines, adeo ut à Cæsare Ferdinando ad se
curandum, quoque vocatus fuerit. Non defuerunt etiam alii, qui hisce nostris conatib. magnam operam
tulerunt, & non solum his postremis, sed aliis antea editis, quorum alii plantarum missione, alii con-
silio, alii rerum inventarum communicatione, mihi multum profuerunt. Inter quos potissimum non
gravare hoc loco commemorare, si possem illis ex beneficii accepti commemoratione aliquam re-
ferre gratiam, Lucam Ghinum Forocorneliensem, Medicum ingenii, & doctrinæ singularis, qui Pi-
sis magna cum omnium laude Medicam materiam multis jam annis professus est: nec non Doctissi-
mum Ulysses Aldrovandum Bononiensem, honestissimi generis, probatæ doctrinæ, & magnæ ex-
pectationis cum Philosophum, tum etiam Medicum. Quibus eo magis me devinctum esse intelligo,
quod ii pro sua tantum humanitate ac liberalitate, me quem non noverunt, nec viderunt unquam,
amore & officio semper sint prosecuti. Non defuerunt etiam amicitia, & affinitate nobis conjuncti,
quorum studio, ac diligentia mihi licuit hoc tempore non aliter peragranti, ex diversis locis plures
consequi plantas earumque picturas edere, sed præsertim in hoc pro nobis assiduam navavit operam
Joannes Odoricus Melchiorius Tridentinus Medicus spectatæ eruditionis, qui me in patris loco
semper habuit, & qui ob suam præclaram eruditionem à Serenissima Imperatrice Maria Cæsaris
Maximiliani conjuge, in sui, & Aulæ suæ commodum in Medicum honorifice ascitus est. Sane is
tum Patavio, tum Venetiis, complures stirpes non vulgares ad nos perferri curavit. Est præterea
summa probitate, & vitæ integritate vir, Franciscus Parthinus Roboretanus, cujus egregiæ doctri-
næ & in re Medica singularis experientiæ, tanta est apud multos hujus ætatis Principes opinio, ut
eorum nonnulli, præcipue vero Cardinales, Tridentinus, & Augustanus, cujus aliquot annis Me-
dicum egit: magnæ sibi laudi duxerint, quod talem hunc virum amplissimis muneribus, variisque or-
namentis decoraverint. Quo postea factum est, ut nunc in Invictissimi, Potentissimique Romanorum
Imperatoris Maximiliani secundi, Medicum merito evectus fuerit. Est etiam Hieronymus Donzel-
linus Brixianus, utraq; lingua, eruditione, & judicio summo clarissimus Medicus, qui quidem mo-
dis quam plurimis labores hosce nostros adjuvantes, maximo nobis fuerunt ornamento. Cæterum
postremis hisce nostris conatibus auxilii plurimum contulit vir Clarissimus Augerius de Busbeke
Flandrus, qui Constantinopoli pro Cæsare Ferdinando apud Turcarum Imperatorem, Oratorem,
egit, quippe quia non solum is multas peregrinas rarasque plantas, mihi transmisit, sed verustissima
Dioscoridis exemplaria, mei tantum causa, secum tulit: quorum auxilio splendoris plurimum toti
operi accessit, ut latius, in sequenti præfatione ad lectorem dicemus. Quinetiam opem maximam
præstitit, & assiduam, multis annis navavit operam Clarissimus, Doctissimusque Jacobus Antonius
Cortusus Patritius Patavinus, à quo (quæ sua fuit liberalitas, & beneficentia) complura ad me mis-
sa sunt plantarum genera, ipsaque rara, peregrina, & paucis admodum nota. Hunc secutus est Do-
ctissimus Medicus Bernardinus Trevisanus, qui in Academia Patavina, Materiam Medicam magna
cum laude proficetur. Namque is tum plantarum missione, tum etiam consilio non parum nos juvit.
Nec minus mihi celebrandus est vir optimus, & rei plantariæ indagator acerrimus Franciscus Cal-
ceolarius pharmacopœos Veronensis una cum ejus filio Angelo, qui ne dum in rei herbariæ scientia
patrem æquat, sed fere superat. Quinetiam nec Cecchius Martinellus Ravennas, quod hic Dama-
sco Syriæ, ille vero Verona, non paucas ad me raras miserint plantas, quæ nusquam antea à me visæ
sunt, sicuti nec à quoquam, qui ante nos hoc tempore de Medica materia scripserit. Adjuvit nos quoque
mirum in modum Georgius Liberalis humo artis pingendi peritissimus, & post ipsum Wolfgangus
Meierpek Misnensis, qui dum assidue plantarum, & animalium imagines delinearent, nulli quidem
labori, ac diligentiae pepercerunt. Potuisssem equidem hæc omnia facile dissimulare, & mihi soli lau-
dem

Principum
Germania
in Matthi-
lum libera-
litas.

Matthioli
Mecænates.

Joannis Næ-
vii laus, &
liberalitas.

Optimorum
virorum com-
memoratio,
qui hoc opus
juvant.
Lucas Ghi-
nus.
Ulysses Al-
drovandus.

Joannis O-
doricus Mel-
chiorius.

Franciscus
Parthinus.

Hieronymus
Donzellinus.

Augerius de
Busbeke.

Jacobus
Antonius
Cortusus.
Bernardi-
nus Trevi-
sanus.

Franciscus
Calceolarius.

Cecchius
Martinellus.

Pictores qui
plantarum
icones deli-
neaverunt.

Epistola

*Venenosa
animalia
quam facile
homines in-
terimunt.*

*Antidota à
Regibus in-
venta.
Mithrida-
ticum.*

*Androma-
chus Theri-
aca inventor*

*Nostri tem-
poris Anti-
dota antiquo-
rum Antido-
tu deteriora
sunt.*

dem universam vendicare, sed absit omnis inanis gloriæ cupiditas. Etenim benignum est (ut scite Plinius in epistola ad Vespasianum inquit) & plenum ingenui pudoris, fateri per quos proficimus. Cæterum quandoquidem Dioscorides non modo quinque libris tradidit universam Medicam materiam, quæ plantis, animalibus, & metallicis comprehenditur, sed his etiam sextam attexit, in quo ad humani generis usum de antidotis disseruit, quibus venena omnia arcentur, ac omnium venenosorum animalium morsus ictusve curantur, ideo nos ipsum secuti, in hunc quoque commentarios scripsimus, in quo plura regessimus, quæ vitæ hominum profutura speramus. Nam præterquam quod improborum veneficorum insidiis pateant cum universum genus humanum, tum maxime Reges, ac Principes, non desunt etiam quamplurima animalium genera, quæ morfu, vel ictu homines ex tempore interimunt. Quippe Scorpiones, Stelliones, Phalangia, nostris in domibus vivunt, oberrantque, quæ animalia cum nullam habeant personarum, aut locorum rationem, ubique sese recipiunt, & latebras, nidosque parant, quo fit ut interdum à domesticis inscientibus molestata ictu venum inferant, & ictos in perniciem agant. Latent præterea modo in hortis, ac viridariis, modo in vineis, & pratis, aliisque in locis inter flores, & herbas, aspidem, & viperam, & alia venenosa reptilia, quæ vel si tantillum quidem pede premantur, aut excitentur, illico exitiosum vulnus infligunt: ex quo statim vel paulo post icti commoriuntur, nisi eis quam primum antidotis succurratur. Est & Canis, qui etsi homini familiaris sit tamen cum in rabiem agitur, quos momorderit, in horrendum mortis genus plerumque deducit. Quæ cum diligenter examinassent, recteque expendissent veterum sapientum complures, quorum superius meminimus, plantarum, aromatum, & aliorum quorumcunque simplicium medicamentorum vires altius perscrutati, varia adversus venena & virulentorum animalium morsus antidota composuerunt. Quorum vestigia secutus Mithridates magnus ille Ponti, & diversarum gentium Rex, cuius etiam ante mentionem fecimus, cum non magnam satis sibi gloriam ex eo comparasse judicasset, quod mortalium solus (ut testis est Plinius) duabus & viginti linguis loqueretur, adeo, ut de subiectis gentibus, nullum hominem per interpretem compelleret, nec quod plurimis potitus esset victoriis, ad maiorem adhuc, immortalemque suam gloriam, Medicinæ peculiariter curiosus fuit, & rei herbariæ percipiendæ, maximum studium impendit. Quorum utrumque plane affectus videtur: nam ex herbarum cognitione antidoti genera invenit, ex quibus unum composuit, quod nomen etiam ejus ad nostra usque tempora retinet, & suum autorem famæ immortalitati consecrat. Hujus antidoti usu adeo corpus suum Rex ille firmaverat, tutumque à venenis reddiderat, ut cum ipse vitam finire mallet, quam Romanorum servitutem pati, id sæpius fertur frustra veneno tentasse. Mithridatem imitatus est Andromachus, doctissimus pariter & elegantissimus Neronis Imperatoris Medicus. Is siquidem Theriaces compositionem adinvenit, quæ Galeni testimonio à venenis servavit non solum plurimos Romanorum Imperatores, ac Principes, sed & alios quosque, qui eam opportune sumpserunt. Quapropter Galeni tempore ab ipso magnifice, ac splendide, ita jubentibus Imperatoribus, hæc parabatur Antidotus. Præteribo Attalum Pergami Regem, de quo etiam nobis antea dictum est, quem quoniam idem studium tenuit antidota conficiendi, ideo is ab ipso Galeno maximis laudibus celebratur. Veruntamen nostra hæc ætas ex horum antidotorum usu non eum fructum, neque utilitatem capit, sentitque, quam sensit antiquitas. Nam etsi eorum nomina monumentis tradita habeamus, atque etiam antidota ipsa in officinis parata reperiuntur, non eos tamen effectus, viresque hæc præstant, quas suis nominibus pollicentur, quasque illa præstare veteres memorie prodiderunt. Cujus discriminis illud nimirum in causa est, quod plura à nobis desiderantur generosa & preciosa aromata, quæ legitima, & omnium præstantissima, suis antidotis immiscebant Mithridates, Attalus, Andromachus, Galenus, & alii complures veterum, quæque ingenti pecunia, summo studio ac labore, ab Arabum, Æthiopum, Troglodytarum, aliarumque diversarum gentium regionibus, illius florentissimæ ætatis Imperatores Romam afferri curabant. Ubi tamen nemini præterquam Cæsareis Medicis (quod fatetur Galenus) licebat veram ac legitimam conficere Theriacem, nisi quis forte potentiorum favore ab Imperatoribus esset iis præclaris donatus aromatibus. Id quod maxime facit, ne miremur, si Theriacæ nostri usus, itemque Antidotus Mithridatica, non perinde polleant viribus, atque eorum nomina pollicentur, & veterum scripta testantur. At certe in hoc satis infelicitè actum esse constat cum vita hominis, utpote quæ jacturam fecerit maximorum remedium adversus venena: aliaque gravissima incommoda, quibus obnoxia est, ac sæpe affligitur. Quam ob rem hac nostra ætate, in qua quidem reliqua fere omnia in pristinum candorem reduci, & suæ integritati restitui videntur, gloriosus, & vere fortunatissimus dici posset summus ille Pontifex, Invidiosissimus ille Cæsar, Serenissimus ille Rex, Magnanimus ille Princeps, Sapientissimus ille cujusque Reipublicæ Senatus, qui propriis animi dotibus Romanos illos Imperatores, & alios potentissimos Reges imitatus, nullus sineret se vel sumptibus, vel laboribus gravari, sed omne studium, omnem operam, omnem denique suam facultatem adhiberet, ut jam diu deperdita aromata, quæ omnino nobis desunt ad Antidota conficienda, in lucem revocarentur. Enimvero si horum aliquis id faceret, vel si omnes id facere contenderent, non suæ tantum, & aliorum mortalium vitæ consulerent, deique posteris præclare mererentur, sed præterea hinc famam assequerentur æternam. Siquidem beneficium id posteris summa cum laude propriis autoribus perpetuo acceptum referrent. Equidem si id mihi non licuit, id saltem quod potui omni studio, industriaque mea præstare conatus sum. Nam cum viderem nostræ hujusce ætatis homines in iisdem in quibus præcæ, atque etiam in majoribus vitæ periculis versari, nobis tamen deesse vera illa, ac generosa veterum antidota, ob ea, quæ hodie in hisce desiderantur, legitima, ac præclara simplicia medicamenta, tentare volui, possent ne ex legitimis, quæ habemus, antidota parari, quæ illorum vicem pensarent. Feci id quidem magno meo labore, longoque rerum usu, & experientia: sed assecutus sum, necne, quod contenderam, ignoro. Illud certo fateri possem, ea semper mihi visa esse longe felicius Theriacæ, & Mithridaticæ antidoti vires præstare, quam quæ passim (paucis exceptis) hac tempestate earundem nomine conficiuntur. Verum non omisi,

Nuncupatoria.

omisi, quin in hoc, sicut in reliquis aliorum potius esset iudicium, quam meum: quandoquidem eo promerendi animo, quem semper habui, in nostris Commentariis in sextum Dioscoridis librum, non solum Dioscoridem ipsum, quantum potui illustravi, sed quædam etiam secuta antidota nobis inventa descripsi. Verum non ob hoc velim nonnullos esse, qui putent hoc tempore ab usu cuiusq; Theriacæ, Mithridaticæq; Antidoti esse abstinendum: siquidem ab his tantum abstinendum intelligo, quæ passim ubiq; veneunt, & de quarum compositione nullum extat probatissimorum medicorum testimonium, quarumq; ingens habetur quantitas apud impostores. Etenim scio non deesse in Italia in famosis civitatibus Pharmacopœos honoris, & humanæ salutis cupidos, qui nullis sumptibus, aut laboribus parcentes, omnem suam navant operam, omneq; studium impendunt, ut legitima omnia simplicia medicamenta, quibus hæc antidota parari solent, sibi comparent. Inter quos (servata semper cæterorum pharmacopœorum fama, ac fide) mihi maxime laudandus venit Franciscus Calceolarius pharmacopœus Veronensis ad aureæ Campanæ signum, quippe qui Theriacam optimam & Mithridaticam parare soleat, ad stipulantibus Clarissimis Medicis omnibus, & præsertim qui primas in civitate tenent. Id quod præ cæteris is præstare potest, quod non solum Medicæ materiæ sit indagator maximus, sed quod ubiq; terrarum amicos habeat qui sibi peregrina & aliis ignota simplicia mittant, à quo nuper legitimum Costum sum consequutus, à me nulloquam antea visum. Sed de his hæcenus satis superq; diximus. Cæterum cum veterum studiosorum morem sequutus, de promotoribus defensoribusq; cogitarem, qui labores hosce nostros ab invidorum, vitiligatorumque moribus protegerent, ac tuerentur, quorum item amplitudine, autoritate, gloriæque splendore, iudem illustriores, ac clariore redderentur, prima illico mihi sese obtulit Sac. Cæs. Majest. Tua, utpote quæ pro summa, & innata virtute sua, atq; clementia; neminem unquam iniquè depressum non extulerit, aut injuria affectum non defenderit, nec quempiam non juverit bonarum artium studiosum, qui ad ejus patrocinium confugerit. Præterea mihi condecens admodum visum est, ut hoc opus Cæs. Majest. Tuæ potissimum consecrarem, non solum quod Romani Imperii Diademate refulgeat, & Universæ Christianæ Reipublicæ imperet, & præsit, sed quod mihi peculiariter (quæ sua fuit in me Pietas, Benignitas ac Beneficentia) semper clementissima fuerit: Illud quoq; me adduxit, ut Cæs. Majest. Tuæ hoc volumen dedicarem, quod in ipso ea describatur Materia, cujus studio (ut superius commemoravi) complures olim Imperatores, ac Reges sunt magnopere delectati. Ideoq; eo libentius id faciendum mihi proposui, quo certior sum Cæs. Majest. Tuam ex naturalis Philosophiæ lectione plurimum capere voluptatis. Huc accedit immensa erga studiosos quosq; Cæs. Majest. Tuæ benignitas, qua eos perpetuo promovet, juvat, & fovet, eosq; præcipue quos de Repub. literaria benemeritos esse agnoscit, præsertimq; Medicos, utpote qui divinam potius quam humanam excolant facultatem. Id quod apud Hebræos testatum reliquit sapientissimus ille Jesus Syrach, divino spiritu afflatus, dum sic inquit: Ab Altissimo orta est Medicina, & à Rege accipiet munera. Medicamenta de terra creavit Dominus, & vir prudens non contemnit illa. Disciplina Medici exaltabit caput ejus, & in conspectu Magnatum collaudabitur. Hæc illæ. Porro & illud mirum videri posset, quod Cæs. Maj. Tua, & si in gravissimis negotiis, suiq; Romani Imperii, ac Regnorum suorum functionibus, & continuis curis, dies, noctesq; versetur, nunquam tamen prætermittere solet, quin succisivis quibusdam horis variis scientiarum studiis vacet. Quare non parum mihi sperandum est, lucubrationes hæc meas apud Cæs. Majest. Tuam non minimum autoritatis habituras, tum quod ante hæc ejus erga me singularem clementiam, liberalitatemq; longe lateq; fluentem, iterum, atque iterum sum consequutus: tum quod omnia quantumvis exigua munuscula, hilari admodum vultu, summaq; humanitate ab omnibus suis fidelibus suscipere soleat. Cæsareæ ergo Majestatis Tuæ beneficia in me sunt amplissima, Serenissima Austriaca Domus deniq; tota me semper omnibus modis aluit, promovit, & decoravit. Quo fit, ut certa omnino spe ductus, mihi persuadeam de Cæs. Majest. Tuæ clementia plurimum perpetuo confidere posse. Facit enim tua summi generis dignitas, Cæsareorumq; ornamentorum amplitudo, ut quotquot ab ea juvari petant, omnes promovendos suscipiat. Cætera vero virtutum decora in Cæs. Majest. Tua sic vigent & elucescunt, ut universæ gentes eam magnopere admirentur & colant. Quis enim non admiretur Cæs. Majest. Tuam? Quis non prudentiam, magnanimitatem, & ingentem animi splendorem? Quis non suspiciat Justitiam, pietatem, clementiam, religionem, beneficentiam, & generositatem tuam? quæ tanquam ex uberrimo fonte è tota Majestate tua scaturiunt, emanant, & diffunduntur. Quæ quidem animi Majest. Tuæ Cæsareæ dotes, proculdubio efficient (Dei Opt. Max. auxilio) ut superatis, ac debellatis Sac. Rom. Imperii & Regnorum suorum inimicis, omnia nobis pacata restituat. Postremo ut Illustriss. S. Rom. Imperii Electoribus, Sereniss. Austriæ Archiducibus Dominis meis Clementissimis, ac cæteris universæ Germaniæ Principibus, labores hosce meos dicarem, in causa fuit, ut omnes simul conjuncti ex hoc intelligant ingentem animi mei erga eos omnes propensionem, utq; hac dedicatione, eorum erga me liberalitatem apud omnes gentes testatam relinquerem. Quin etiam quod mihi persuasum habeam, non minus hæc nostra Latina commentaria, universis (ut spero) profutura, defendenda, promovendaq; suscipiant una cum Cæs. Maj. Tua, quam ab iis antea factum sit de Herbario Germanico nostro illis dicato. Idq; præsertim faciendum ad me spectasse cognovi, quod non minora auxilia in hoc cudendo volumine, quam in illo nobis præstiterint. Interim me totum Cæs. Maj. Tuæ dedico, dono, ac voveo. Cui Deus Opt. Max. felicia omnia concedat. Pragæ, Ultima Januarii, M D LXV.

*Antidota
quæ usui esse
debent &
quæ non.*

*Theriacæ à
Francisco
Calceolario
parata præ
cæteris lau-
datur.*

*Dedicatio
operis.*

E. Cæs. Majest. Tuæ, Vestiarumq; Celsitudinum

Humilis Servitor

PETRUS ANDREAS MATTHIOLUS.

A

PETRI